

Appendix ad Europam Nro. 16.

Regnum Mortuorum.

Litterae familiares inter Vivos et Mortuos.

Ancilla Cameraria ad Matrem in Elisium.

De Mundo 9. Febr. 1808.

Quam insperata res pro me, dilecta Mater! Novissime legens *Regnum Mortuorum*, observavi, vivos cum mortuis correspondere posse; qua via, qua posta, hoc equidem ignoro; id unum scio, tale litterarum adesse commercium; Utor ergo occasione ad te, dilecta Mater, scribendi. Ah! quanta pertuli, a quo tu mortua es. Fueram apud Patrum in popina ad *Bonum virum* cum sorore mea, didici artem coquendi, et ceconomiam domesticam. Dominium assumpsit curam mei, et Comitissa nostra me in Camerariam assumpsit, quae me in omnibus laboribus mulieribus informari curavit; Sum ergo jam a 10. annis in sensu naturali — *Cameraria*.

In exordio servitii me in tertium coelum elevatam putavi; ast si frigido sanguine expendamus; quid est Cameraria? Finge tibi personam, a mane ad vesperam lateri Dominae suae adstantem; quae contra fantomata Haerae suae, imo saepius et Heri constanter in statu defensionis esse debet; quae cuncta Domini arcana, factiones domus, et flexiones passionum noscit; quae in Despotia domestica non ultimam personam ludit; quae propterea modo in confidentia, modo in jurgio, modo amata, modo contempta, et omnibus factionibus involuta vitam agere debet. — Hoc est una Cameraria (*Miserere mei*) seu felis cameraria, prout homines eam ex contemptu, sed haud merito nominant. Haec omnia ego apud alienas ancillas experta sum; Nostra Comitissa est optima, quae in mundo datur, Domina, et si dicere liceat, vara Mater.

Interim jam 10. servitii, et 28. aetatis annos numero, et adhuc inupta! hoc est, quod saepe cordis palpitaciones causat. Nulli puellarum unquam svaderem in tali domo servitium, ubi omnes Officiales domestici ab Secretario ad Aurigam uxores habent; nam illic nulla spes. — Hic recte casus est apud nos. Caeterum tamen non deest mihi consortium virorum; inter alias est filius Officialis aeconomici, ex universitate redux, qui meam quaerit familiaritatem. Is di-

citur esse totus aestheticus; quam vocem ego quidem non intelligo; afflixit tamen me, quod me ancillarum pulcherrimam nominaverit, et litteras mihi in versibus scripserit; et ab hoc tempore abominor eum.

Nunc venit Epocha vitae meae, quae plurimum interessat. Audi, dilecta Mater! quae narro: Herus et Hera mea pro bachanalibus profecti sunt in Civitatem N. ubi in primo diversorio descenderunt. Praeunte Dominio, mihi cum sene Camerario Cellarius amaenum cubile assignavit. Diversitor, ad portam stans, dixerat Cellario: Martine! fac, ut pulchra haec puella bonam caenam accipiat. Ego Cellarium hunc conspiciens, eheu Superi! in omnibus venis meis occultum quodpiam sensi praesagium.

Martinus, staturae elegantis, et totus ignis, adtulit nobis caenam; erat admodum modestus, et narrabat multa de hilaritatibus Bachanalium. Ego decumbens; nullam inveni quietem, quia Martinus coram me constanter aderat. Mane tulit mihi jentaculum, et rosam — Rosam de hyeme!

Dilecta Mater! rem paucis expediam; Percontabar ego cuncta propter hunc Martinum, et omnes laudabant eum, ipsa Comitissa mea dixerat, hunc esse omnium Cellariorum, quos ipsa novisset, cultissimum, et ipse Comes, ostendens calculum expensarum, quem idem ipsi exhibuerat, dixerat; hunc Cellarium esse clariorem et magis accuratum in suis rationibus, quam noster superbus rationum Exactor. — Haec erat aqua ad meam molam; et balsamum pro vulnerato corde.

Vice altera tulit mihi Martinus iterum rosam cum jentaculo. Comitissa venit insperate in cubile. Quid? Rosam in hyeme! Unde eam accepisti? Cellarius tulit. Quid? Martinus? Tanta jam inter vos familiaritas? Hic mihi vox faucibus haesit. Audi, Elisabetha, dicebat ad me Comitissa. Martinus est bonus homo. Tua soror nubit civitatis Cancellistae. Tuus Patruus est senex, et non potest sine prolibus, et conjuge diu aconomiam ducere. Quid si tu Diversorium ad magnam Aquilam cum Martino acciperes? — Ego obstupui. — Ego, reposuit illa, ego loquar cum Comite; ego enim silentium tuum bene intelligo.

Hoc erat electrum, quod omnia membra penetravit. Martinus venit, et ego stans ad fenestram, interrogavi; quotnam annorum esset? 32 et duorum mensium, reposuit; et tu pulchra domicella? — 28; et 4 mensium. Cur ergo non conaris, aliquam aconomiam aquirere, an perpetuus Cellarius esse vis? Viden' domicella, tu es unica in mundo, quae me felicem reddere posset. Ego habeo 1600 fl. scio laborare; dic mihi ingenue, annon mihi subere velles? Ad hoc subsistens ad portam fixis me aspexerat oculis. Tandem de-

pulso
lias.
res m

mea.
ravit.
ritus.
ipsius
1600.
dum
Haec
histor

adhuc
nebat
Parla
erant
gis or
belli
lata R
rit Re
perato
esse
sam fa

A
tionem
culum
potest
tionem
nus ne
jussa
striae
Interm
diae,
tentian
cipis d
dicens
cointer
velit?
minari
receda
ret. A
non int
C
ariarur
rit, in
ansecut

pulso primo pavore, dixeram: Martine, de hac materia alias. Hoc dicto, cum osculo manus discessit. — Ita stant nunc res meae, chara Mater, quid futurum, perscribam.

Postscriptum media nocte: Chara Mater, decisa est sors mea. Patruus meus advenit; et aliquid cum Dominio deliberravit. Martinus futurus est intra 4 hebdomades meus maritus. Accipiemus Diversorium ad magnam Aquilam; Herus ipsius tradet ipsi quantitatem vini, ego habeo 1400 fl. ille 1600 fl. Avus tradet vobis aecomiam, manebit apud nos, dum vivet, et nos, ac soror mea sumus illius haeredes. Haec est magna pro me fortuna chara Mater. — Verissima historia —

Ea etiam aliquos articulos novorum, pro Parente, si adhuc his delectetur, quemadmodum dum adhuc in vita manebat, *Londini* aperuit Cancellarius nomine Regis 21. Jan. Parlamentum, quod hic valetudinis causa non potuit: Tres erant Commissarii, et Lord Cancellarius habuit nomine Regis orationem, quae sat longa est, in qua Orator causas belli contra Russiam continuandi fusius enarrat, et cur oblata Russiae Intermediatio acceptata non sit, cum praeviderit Rex, hoc Parlamento non probari. Dicit porro: Nec imperatori Austriae, nec Regi Borussiae causas inimicitiarum esse, nec dum Legati earum discesserant, Rex ab eis causam facti postulavit. Nos occasionem his non dedimus.

Monitor. Parisiensis in glossationibus suis ad hanc orationem relate ad posterius hoc punctum observat. — Articulum hunc esse mysteriosum, quem sola Austria declarare potest. Aut ergo Ministri non dicunt veritatem, aut declarationem Austriae Parlamento exhibere nolunt, quae non minus nervosa est, quam Russiae; nisi forte Legatus Austriae jussa sui Imperantis executus non fuisset; Nota enim Austriae haec habuit: — Aula Londinensis rejecit Russiae Intermediationem, et ad eam respondit invasione Seelandiae. Haec expeditio est laesio aparta jurium omnium potentiarum, quam secuta est declaratio officiosa, quae principis omnium aulam opposita sunt. — Aula igitur Londinensis velit declarare, an juxta principia; quae omnibus cointeressantibus Principibus conveniunt, Tractatus ingredi velit? In probam sinceræ voluntatis pro conditione praeliminari petatur, ut ab iis, quae contra Daniam constituit, recedat; eversas domos reaedificet, et illata damna reparet. An datur magis nervosa declaratio, quam si Cabinetum non intellexit — intelligere noluit. —

Classis gallica Rupefortensis 6. linealium, et 2 subsidiarum navium, elusa Praetoris *Strachan* vigilantia, excurrit, incertum, quam secuta sit viam. *Duckvort* quidem eam unsecutus, sed fato *Canisterium* et *Csuteram* (provisionem

vitae) accipere oblitus, quod tunc primum advertit, dum venter monuisset, et vidisset. — *Quod vacuus venter, non remiget libenter*; Numerosae jam nunc naves ad eam insequeendam missae. Navis ex America veniens tulit, 22. Decembris omnes Anglorum naves, et proprietatem per omnem Americam sequestro subjectam esse. Expeditio, quae in hanc mundi partem parabatur, adhuc quiescit in portu *Portsmouth*; forte adhuc ligna desunt.

Adventus Regis et Reginae Berolinum sperabatur nuper, erantque certa rerum adjuncta, quae spem hanc fundabant; inter haec erant etiam retrogradi copiarum motus; Ast — Ast — Praelatus *Vibling* transit per Augustam 14. summa cum celeritate, et 8. horis tardius venerunt duo Commissarii *Vürtembergici*, qui eum capere volebant. Causa hujus adhuc ignoratur.

Circa disceptationes parlamentares 21. Januarii observat Monitor, praesertim quoad illam declarationem Canningianam; quod expeditio Constantinopolitana instigatione Aulae Petropolitanae suscepta sit, quae optata habitura erat Resultata, si necessariae copiae eam secundassent; ideo oportebat, ut Tractatus cum Russia; et Ottomannia incamini-entur; Tractatus jam felicem habebant cursum, dum inopinata Russia semet ab Anglia separavit, et cum Ottomannia sub Galliae auspiciis tractare voluit, quo viso Anglia semet ab Russia separavit: Hoc assertum Angliae falsum declarat Monitor, et dicit: Nunquam Tractatus vestri in illo fuerant statu, ut felicem habere potuissent exitum. Ex odio contra Portam Ottomannicam calumniatur Canning velle scilicet Russiam et Galliam suffaminare, ut Constantinopolim foccupent, sed an, dum hoc egregium servitium Portae exhibere vult, consequentias bene perpendit? An ignorat, viam rectissimam in Indiam duci per Constantinopolim, et Bagdadum? An non videt, haec directe contra ipsam Angliae prosperitatem esse? An nullus est Factor societatis Indicae, qui D. Canning Mappam ostendat? Quantum viae jam tunc superatum esset, si 80000 Gallorum et Russorum Constantinopoli essent? quae intra paucos menses ad Euphratem venirent.

Olympus.

Jupiter prospiciens per fenestram, quae in terram respicit, et Nvidit eptatum ac Martem sibi mutuo pugno miantes, cum se se assequi non potuerint, Dea pacis stetit super terra, et flevit amarissime *No. Domina Aulae familiaris Politicae*, quid fles? — sed illa non attento Jovis sermone denique flere perrexit. Haec est nunc sors terrae.